

I

AD C. ASINIVM POLLIONEM

Strophe Alcaica

Mōtum ex Metellō cōnsule cīvicum,
Bellīque causās, et vitia, et modōs,
Lūdumque Fortūnae, gravēsque
Prīncipum amīcitiās, et arma

Nōndum expiātīs ūncta cruōribus,
Perīculōsae plēnum opus āleae,
Tractās ; et incēdis per ignēs
Suppositōs cinerī dolōsō :

Paulum sevērae Mūsa tragoediae
Dēsīt theātrīs ; mox ubi pūblicās
Rēs ōrdināris, grande mūnus
Cecropiō repetēs cothurnō,

Īnsīgne maestīs praesidium reīs,
Et cōnsulentī, Pōlliō, cūriae,
Cuī laurus aeternōs honōrēs
Dalmaticō peperit triumphō.

Iam nunc minācī murmure cornuum
Perstringīs aurēs ; iam lituī strepunt ;
Iam fulgor armōrum fugācēs
Terret equōs equitumque vultūs.

Audīre magnōs iam videor ducēs,
Nōn indecōrō pulvere sordidōs ;
Et cūncta terrārum subācta,
Praeter atrōcem animum Catōnis.

Iūnō, et deōrum quisquis amīcior
Āfrīs, inultā cesserat impotēs
Tellūre, victōrum nepōtēs
Rettulit īferiās Iugurthae.

Quis nōn Latīnō sanguine pinguior
Campus sepulcrīs impia proelia
Testātur, auditumque Mēdīs
Hesperiae sonitum ruīnae ?

Quī gurgēs, aut quae flūmina lūgubris
Īgnāra bellī ? Quod mare Dauniae
Nōn dēcolōrāvēre caedēs ?
Quae caret ōra cruōre nostrō ?

Sed nē, relictīs, Mūsa procāx, iocīs,
Cēae retractēs mūnera nēniae ;
Mēcum Diōnaeō sub antrō
Quaere modōs leviōre plēctrō.